



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118855

§. 28. Alia Parisinæ Facultatis decreta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Sæc. XVII. ac recepti fuerint, mox trucidatis Hispanis arcem occuparent. Hoc stragemata erat artificiosum Calvinianæ industriæ inventum, quod tamen Deus in ictu oculi ad inventorum ludibrium & damnum detorsit. Isabella vero Belgii Gubernatrix cognita Hollandorum perfidia, cum quosdam subleptæ fidei Calvinistas in urbe latere, haud temere suspicaretur, in eos inquiri, omnesque urbe excedere iussit, fatali experimento edocta, quod ejusmodi sectæ homines juratam etiam fidem legitimo suo Principi, si Religione Catholicus est, omni data occasione violare parati essent.

§. XXVIII.

Plura Parisinæ Facultatis decreta.

*Argentor
l. 6.*

Eadem die prima Junii Bessius Facultati exposuit, quod Princeps Ludovica Borbonia Fontis Evraldi Abbatis a Facultate peteret, quatenus ea quasdam propositiones, quæ in libro quodam a Patre Cerneau Ordinis sui Religioso deprehensæ fuissent, serio & exacte examinare, & an veræ, fideique Catholicæ conformes essent, judicare velit. Igitur Facultas hunc librum duobus Sorbonæ Doctoribus pervolvendum commisit. Præterea idem Syn-

Syndicus retulit, quod quidam Clerici, Sæc. XVII. A. C. 1622.
 quos *Barnabitas* vocant, Regiis literis assulti Lutetiam Parisiorum ingressi
 sint, ac publice literas docere aggrediantur: re igitur percepta, Universitas censuit, esse reclamandum, & præcipue Facultatem Theologicam, quotiescunque urgebit necessitas, obfistere obstrictam esse. Denique die prima Octobris eadem Facultas præcepit, ut Vicarii Generales Capituli Parisiensis ulteriorem Missæ Gallicæ divulgationem præpedirent, si quid erroris in illa reperiatur.

§. XXIX.

Polonorum seditio contra Regem conflata.

Jam dudum adversus Sigismundum Meteran. Hist. Belg. lib. 42.
 Poloniæ Regem secretæ quorundam Procerum indignationes ob arma in Turcas versa exaudiebantur, demum vero ad publicam criminationem, & apertam seditionem res excessit. Die enim decima Februarii multi Proceres clam Renslemburgi in Cisterciensium Monasterio convenerant, ut conflata inter se conjuratione mutui auxilii ac immotæ fidei juramentum die sexta Martii exsolverent, in factionis suæ Principem electo Alexandro Kowiens-
 Hh 4 kio,